OFFICIVM
B. CATHARINÆ
VIRGINIS DE BONONIA,
Ordinis S. Claræ.

VLYSSIPONE.

Excudebat IOANNES A COSTA.

M. DC. LXXVI.

Cum facultate Superiorum.

PRÆFATIO.

Fficium B. Catharinæ Virginis de Bononia Ordinis S. Clarę, dudum a fæl. rec. Clemente VII. Pont. Max. per ipsius specialia Indulta concessum: Fuit in Vrbe per R. D. Curtium Francum Canonicum S. Petri in Vaticano, ad hujus. modi reuisiones per S. D. N. Sixtum V. electum, & deputatum, hoc præsenti Anno 1597. reuisum, & reformatum: ac ad vsum, & formam Breuiarij Romani accomodatum. Prælibatusque S. D. N. ita secundum infrascriptam formam emendatum celebrari debere laudauit.

Ita fuisse de ejusdem Sanctissimi Domini mente, fidem fecit, & significauit Reuerendæ Abbatissæ, & Monialibus Corporis Christi de Bonon. prædicti Ordinis, Illustrissimus, & Reuerendissimus D Gabriel Cardinalis Palæotus Archiepiscopus primus Bonon. ex Vrbe Roma. Die prima Septembris. M. D. LXXXVII.

Die ix. Martij.

INFESTO
B. CATHERINÆ
VIRGINIS BONONIENSIS
Ordinis S. Claræ.

Ad Vesp. Antiphona.

IN Claræ viridario nouella planta nascitur, quã decet sanctitudo in longitudine dierum.

Psalm. Dixit Dñs Domino meo.

Antiphona. Inter prudentes virgines Christo procedens obuiam Bononiæ illustrat vrbem.

Psalm. Laudate pueri Dominum.

Antiph. Thesaurum Euangelicũ inuenit Virgo sapiens, quod in cordis abdito abscondit.

Psalm. Lætatus sum.

Antiph. Benedico te Pater Dñi mei JESV Christi, qui me feciſti vanitatem sæculi spernere.

Psalm. Nisi Dominus ædificauerit.

Antiphon. Laudat Mater Ecclesia sponsum Jesum, qui ciuitatem Bononiæ voluit tali filia coruscare.

Psalm. Lauda Hierusalem Dominũ.

Capitulum.

FRatres, qui gloriatur, in Domino glorietur: non enim, qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.

℟. Deo gratias.

Hymnus.

O Catharina nobilis,
S. Francisci filia,
Quæ vitæ semper labilis
Falsa spreuisti, gaudia.

Ad Sponsi Iesu nuptias
Exemplo, verbis, opere,
Plures traxisti filias
Deuotas sacro fœdere.

Vicisti carnis lubricum,
Figuram mundi labilem,
Et dæmonem falsidicum,
Ob zelum Jesu stabilem.

Vni, Trinoque Domino
Sit sempiterna gloria,
Qui vitam sine termino
Nobis donet in patria.
Amen.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua.

℟. Intende, prospere procede, & regna.

Ad Magnificat. Aña.

SPonsa JESV amabilis Catharina virgo, quę nunc in æterna Patria sublimaris, almis tuis precibus fac nos consortes cœlestium ciuium, quibus collætaris.

Canticum. Magnificat anima mea Dominum.

Oratio.

COncede nos famulos tuos Deus B. Catharinæ Virginis suffragijs adjuuari, cujus odore vnguentorum trahimur ad tua sancta lætātes. Per Dominum nostrum Iesum, &c.

Ad Matut. Inuitat.

Regem Virginum Dominum. Venite adoremus.

Psalm. Venite exultemus Domino, &c.

Hymnus.

VIrgo Christi juuencula
S. Claræ discipula
Efficitur, & filia,
Ejus sequens vestigia.
Dure suum corpusculum
Domans, vicit diabolum,
Mundum spreuit vertibilem,
Et florem ejus fragilem.
Nocte, & die vigilijs
Intenta, & Iejunijs,
Orationi dedita
Dabat salutis monita.
Deo canamus gloriam,
Qui virgini victoriam
Carnis, Sathan, cum sæculo
Dedit in hoc corpusculo.
Amen.

In 1. Nocturno. Antiph.

A Matre Dei Virgine Patri antequam nasceretur B. Catharina fuit diuinitus prę monstrata.

Psalm. Domine Dominus noster, &c.

Vt in communi Virg. Antiph.

Orta fuit Bononiæ, & illic educata, sed Ferrariæ Christo desponsata.

Psalm. Cœli enarrant gloriam Dei, &c.

Antiph. Cunctas carnis illecebras à teneris annis ob Christi amorē spreuit.

Psalm. Dñi est terra, &c.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua.

℟. Intende, prospere procede, & regna.

Pater noster.

Absol. Exaudi Dñe, &c.

De Epist. prima B. Pauli Apost. ad Corinth.

Lectio j.

DE virginibus præceptū Dñi non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus à Dño, vt sim fidelis; existimo enim hoc bonum esse propter instātem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. Alligatus es vxori? Noli quærere solutionem. Solutus es ab vxore? Noli quærere vxorem, non peccasti, & si nupserit virgo, non peccauit, tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi. Ego autem vobis parco. Hoc itaque dico fratres: tempus breue est, reliquum est, vt & qui flent, tanquam non flentes, & qui gaudent tanquam non gaudentes, & qui emunt tanquam non possidentes: & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur:

tur: præterit enim figura hujus mũdi.

Tu autem Domine.

℟. Vigesimum annum agens B. Catharina mundum despexit cum flore: Et arduum institutum S. Claræ suscipiens Sanctum Franciscũ imitata est.

℣. Contendite intrare per angustam portam: quia arcta est via, quæ ducit ad salutem.

℟. Et arduum.

Lectio ij.

VOlo autem vos sine solicitudine esse. Qui sine vxore est, solicitus est, quæ Dñi sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. Et mulier innupta, & virgo cogitat, quę Domini sunt, vt sit sancta corpore, & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat, quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Porrò hoc ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueũ vobis injiciam, sed ad id, quod honestum est, & quod facultatẽ prębeat, sine impedimento Dñm obsecrandi.

Tu autem Domine.

℟. Venusta facie, & hilari aspectu pœnitentiæ viam non deserens, labori fructuoso quotidie insistebat. Visitabat ægrotas, afflictas consolabatur, & crucem jugiter in suo corpore pro Christi amore portabat.

℣. Date ei de fructu manuum suarũ, & laudent eam in portis opera ejus.

℟. Visitabat ægrotas.

Lectio iij.

SIquis autem turpem se videri existimat super virgine sua, quæ sit superadulta, & ita oportet fieri: quæ vult, faciat, non peccat, si nubat, & qui matrimonio jungit virginem suam, benè facit: Nam qui statuit in corde suo, firmus, non habens, necessitatem, potestatem autẽ habens suæ voluntatis, & judicauit in corde suo, seruare virginitatẽ suã, benefacit. Igitur & qui non jungit, melius facit. Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus viuit, quod si dormierit vir ejus, liberata est à lege, cui, vult, nubat, tantum in Domino: Beatior autem erit, si sic permanserit, secundum meum consiliũ. Puto autem, quod & ego spiritum Dei habeam.

Tu autem Domine.

℟. Cernens quam plurima Christi membra à mystico ejus corpore separari, oportebat affligi grauiter, dũ viueret, atque in futuro sæculo. Vt suo dulci Christo rursum conjungeretur.

℣. Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.

℟. Vt suo.

℣. Gloria Patri.

In secundo Nocturno.

Antiphona.

Professas, & nouitias edocere non cessabat dęmonis astutias pręcauere. *Psalm.* Eructauit cor meum.

Antiphona.

Altaris sacrificium orans intellexit, Trinitatis mysterium spiritu perspexit.

Psalm. Magnus Dñs.
℣. Adjuuabit eam Deus vultu ſuo.
℟. Deus in medio ejus non commouebitur.

Pater noſter. Abſol.

Ipſius pietas,&c.

Lectio iv.

CAtharina Virgo Bononię nobilibus parentibus, Joanne Ferrarienſi, ex illuſtri Vigriorum familia, & Benuenuta Bononiēſi orta eſt. Hanc Beata Dei Genitrix Maria patri per viſum prænunciauit in feſto Natiuitatis ſuæ veluti fulgentiſſimum ſolem naſcituram. Quare ab incunabulis Dei benedictione pręuenta vitæ innocentiam cum pietate perpetuò ſeruauit. Vigeſimū annum agens à matre Ferrariā perducta in Monaſterio Corporis Chriſti religioſum Sanctę Clarę habitū ſumpſit. Quo in loco, vt Lampas ardens cæteris ſplendeſcere,& virtutū omnium ſpecimen præbere cæpit. Humilitas tanta ei inerat, vt viliora ſemper,& lacera indumenta caperet, abjectiora officia exhiberet. Charitate erga omnes afficiebatur maxima. Nil vitabat, nil prætermittebat, quin foueret omnes, ſubleuaretque præſertim infirmas, in quibus monialis caput ſanie tabefactum, ne dū contingere, & manibus abſtergere, ſed & lingua lingere ſæpius nō horruerit.

Tu autem Domine.

℟. In cruce tenens brachia, ſomno correpta dulciter non ceſſat lachrymari.

℟. Tunc militiam cœleſtem audit cum tripudio, ter ſanctus, decantare.

℣. Chriſto confixa ſum cruci, Chriſtus amor meus Crucifixus eſt.

℟. Tunc militiam.

Lectio v.

TAnta erga errantes affecta erat commiſeratione, vt ſuam ipſius animam Deum precaretur in inferno exuri, dummodo illorū animæ ab incendio (ſi fieri poſſet) eriperentur. Obedientię virtute ſic eminebat, vt ſemel tentata ſe ſe in flāmam injeciſſet, niſi ſtatim reuocata ab illa ſe eruiſſet. Orationi aſſidua Sponſi ſui amore flagrans ſumma ſpiritus dulcedine potiebatur. Quare arcana cotdium, & ſecreta cœleſtia ſæpe ei ſunt reuelata: Cui & Sāctus Thomas Cantuarienſis manum deoſculandam,& Beatus Franciſcus ſtigmata viſenda aliquando præbuerunt. Animam Joannis Epiſcopi Ferrarienſis in cœlum euntem, veluti ſtellam coruſcantem moniali, quæ tunc aderat, oſtendit. Aliquando in Miſſa, dum ſacerdos pręfationem perficeret, Angelorum concentum, ter ſanctus canentium, mira ſuauitate audiuit, qui ſi diutius, vt ipſa retulit, perduraſſet, proculdubio corpore reſoluta foret. Fratrem in viam ſalutis reduxit. Sororis animam in cœlum euntem vidit, multa prophetico ſpiritu prædixit.

Tu autem Domine.

℟. In Natalî Domini peruigil dum oraret, Beata Dei Genitrix Angelis comitata filium ei amplexandum præbuit. Ex cujus contactu tota ejus anima liquefiebat.

℣.

℣.Ecce quod concupiui, video, quod speraui, jam teneo.
℟.Ex cujus contactu.

Lectio vj.

CVm autem Bononienſes etiã fama ſanctitatis ejus permoti, Monaſterium Bononiæ in honorem Corporis Chriſti erexiſſent, ex Ferrarienſi Monaſterio Beata Catharina vna cum quindecim Monialibus Bononiam, vt illud Monaſterium regeret, mittitur. Quod quidẽ illa & Virginum numero, & regulari diſciplina auxit. Cumque octo, & viginti annos aduerſa valetudine probata, poſtremum diem ſibi imminere præuideret, conuocatis ſororibus monita ſalutis dedit. Sumptis deinde Sacramentis, inuocato Jeſu nomine, beatam afflauit animã quinquageſimo ætatis ſuæ anno. Honorifice ſepulto ejus corpore mirificus odor é ſepulchro flagrare cœpit, & illuc concurrentes plurimi infirmi ſanati ſunt. Poſt dies decem & octo exhumatum corpus inuentum eſt incorruptum, & magno odore flagrans. Quod in Eccleſiam delatum ibi religioſe aſſeruatur integrum, & multis clarum miraculis.

Tu autem Domine.

℟.Optans ſubeſſe, penitus monaſterij regimen ſibi datum ſuſcipere recuſabat. Sed poſt edocta cælitus onus accipere non recuſauit.
℣.Ieſum, qui fuit ſubditus, recogitãs, alijs non vult præeſſe.
℟.Sed poſt edocta.
℣.Gloria Patri, &c.
℟.Sed poſt edocta.

In tertio Nocturno.

Antiphona.

LAborans in otio, orare non deſinit, vt dilecto ſuo Domino Jeſu Chriſto adhæreret.
Pſalm. Cantate Domino.
Antiph. Audiuit, & lætata eſt Syon, & exultauerunt filiæ Judæ propter judicia tua Domine.
Pſalm. Dñs regnauit.
Antiph. Veni Sponſa Chriſti, accipe coronam, quam tibi Dominus præparauit.
Pſalm. Cantate Dño.
℣.Elegit eam Deus, & præelegit eam.
℟.In tabernaculo ſuo habitare fecit eam.

Pater noſter. Abſol.

A vinculis peccatorum.

Lectio vij.

Lectio Sancti Euangelij ſecundùm Matthæum.

IN illo tempore. Dixit Jeſus Diſcipulis parabolam hanc. Simile eſt regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes Lampades ſuas exierunt obuiam ſponſo, & ſpõſę: Et reliqua.

Homilia Sancti Baſilij Epiſcopi.

VIde, ne quãdo te pœniteat malorum conſiliorum, cum nulla pœnitentiæ vtilitas exiſtit. Refrænet te Virginum exemplum. Illæ oleum in vaſis non habentes, cùm ipſas cõgredi cum ſponſo oportebat, tunc tandem ſenſerunt rerum neceſſariarum negligentiam. Quapropter etiã fatuas Euangelium ipſas appellauit, quod tempus vſus olei in circuendo, ac apparatu conſumentes, non ani-

maduerterunt, quod se ipsas à sponsi hilaritate excluderent. Itaque & tu vide,ne annum ex anno, & menses ex mensibus, & diem ex die differens,& non accipiens oleum luminis alimentum, incidas aliquando in diem,quam non expectas, quando deficiet te de cætero viuendi processus, & consilij inopia, & tribulatio immitigabilis fuerit.

Tu autem Domine.

℟. Trisagium ab Angelis audiuit Virgo nobilis in Missarum solennijs decantari. Quorum dulcissimo concentu purissima illa anima Christi amore transfigebatur.

℣. En dilectus meus loquitur mihi, surge,propera amica mea, formosa mea,& veni.

℟. Quorum.

Lectio viij.

NEmo te inanibus verbis decipiat. Instabit enim tibi repẽtina pernicies, & mors ad procellæ similitudinem aderit. Veniet Angelus tristis abducens violenter, & trahens animam peccatorum vinculis illigatam,& frequenter se conuertẽtem ad ea,quę hic sunt,lugentem sine voce in instrumento lamentationum de cętero concluso. O quam te ipsum dilaniabis? O quantum ingemisces?Frustra pœnitentiam ob mala consilia agens. Vbi videris hilaritatem justorum ob splendidam donorum distributionem, & tristitiam peccatorum in tenebris profundissimæ relegationis.

Tu autem Domine.

℟. Laborem pro quiete, contemptũ pro honore, pauperiem pro diuitijs elegit, & Christi Domini Passionem quotidie deflebat. Vt variê afflicta frueretur. Saluatore.

℣. Sicut abundant passiones Christi in nobis,ita & per Christũ abundat consolatio nostra.

℟. Vt variê.

℣. Gloria Patri,&c.

℟. Vt varie.

Lectio Nona, Homilia in] Euangeliũ feriæ occurrentis.

Te Deum laudamus.

AD LAVDES.

Antiphona.

IN Clarę viridario noue Ila plãta nascitur,quam decet sanctitudo in longitudine dierum.

Psalm. Dominus regnauit.

Antiph. Inter prudentes virgines Christo procedens obuiam Bononiæ illustrat Vrbem.

Psalm. Iubilate Deo.

Antiph. Thesaurum Euangelicum cum inuenit Virgo sapiens, quod in cordis abdito abscondit.

Psalm. Deus Deus meus.

Antiph. Benedico te Pater Dñi mei Iesu Christi, qui me feciſti vanitatẽ sæculi spernere.

Psalm. Benedicite omnia opera.

Antiph. Laudet mater Ecclesia Spõsum Iesum, qui Ciuitatem Bononiæ voluit tali filia coruscare.

Psalm. Laudate Dominum de cœlis, &c.

Capi-

Capitulum.

FRatres,qui gloriatur,in Domino glorietur,non enim, qui se ipsum commendat,ille probatus est, sed quem Deus commendat.

℟.Deo gratias.

Hymnus.

OS nequit tuum premere,
O Catharina gaudium.
Nec potest cor concipere,
Quod agis nunc tripudium.
Nam Dei non in speculo,
Sed facie ad faciem,
Mundato cordis oculo
Diuinam cernis Speciem.
Cum Fide Spes,& Charitas
Crescat in nobis omnibus,
Et illibata Castitas
Cum cæteris virtutibus.
Vni,Trinoque Domino
Sit sempiterna gloria,
Qui vitam sine termino
Nobis donet in Patria.
Amen.

℣.Diffusa est gratia in labijs tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Benedictus. Antiphon.

CLarum nobis effulsit sidus, cũ Catharina Virgo supernorum Ciuium cætui adjuncta est in æternum.

Canticum.

Benedictus Dominus Deus Israel.

Oratio.

CConcede nos famulos tuos Deus Beatæ Catharinæ Virginis suffragijs adjuuari, cujus odore vnguentorum trahimur ad tua sancta lætantes. Per Dominum nostrum,&c.

Et fit commemoratio de feria occurrenti.

Ad Horas Antiphonæ de Laudibus

Ad Tertiam. Antiphona.

Inter prudentes.

Capitulum.

Fratres,qui gloriatur. *Vt supra.*

℟.*breu.* Specie tua, & pulchritudine tua.

℟. Specie tua, & pulchritudine tua.

℣. Intende, prospere procede, & regna.

℟.Et pulchritudine tua.

℣.Gloria Patri,& Filio, & Spiritui Sancto,&c.

℟.Specie tua.

℣.Adjuuabit eam Deus vultu suo.

℟.Deus in medio ejus non commouebitur.

Oratio.

Concede nos famulos tuos,&c.

Vt supra in Vesp.

AD SEXTAM.

Antiphona.

Thesaurum Euangelicum.

Capitulum.

ÆMulor enim vos Dei æmulatione · despondi enim vos vni viro Virginem castam exhibere Christo.

℟.Deo gratias.

℟.*breu.* Adjuuabit eam Deus vultu suo.

℟.Adjuuabit eam Deus vultu suo.

℣. Deus in medio ejus non commouebitur.

℟.Deus vultu suo.

℣. Gloria Patri, & Filio. & Spiritui Sancto,&c.
℟.Adjuuabit eam.
℣. Elegit eam Deus, & prę elegit eam.
℟. In tabernaculo ſuo habitare fecit eam.

Oratio.

Concede nos famulos.*Vt ſupra.*

Ad Nonam. Antiph.

Laudet mater,&c.

Capitulum.

DOmine Deus meus exaltaſti ſuper terram habitationem meam,& pro morte defluente deprecata ſum: inuocaui Dominum patrem Domini mei, vt non derelinquat me in die tribulationis meæ, & in tempore ſuperborum ſine adjutorio.
℟.Deo gratias.
℟.*breu.*Elegit eam Deus,& præelegit eam.
℣.In tabernaculo ſuo habitare facit eam.
℟.Et præelegit eam.
℣.Gloria Patri,&c.
℟.Elegit eam.
℣.Diffuſa eſt gratia in labijs tuis.
℟.Propterea benedixit te Deus in æternum.

Oratio.

Concede nos famulos.*Vt ſupra.*

In ſecundis Veſperis. Omnia vt in primis præter

℣.*& Antiph.ad Magnificat, quæ dicuntur,vt ſequitur.*

℣.Diffuſa eſt gratia in labijs tuis.
℟.Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Magnificat. Antiph.

O Paupertatis, obedientiæ, ac pudicitiæ ſpecimen, Beata Catharina, quæ hodie ad Sponſi tui nuptias vocata es, duc nos per ſemitas juſtitiæ ad veræ pacis cumulum vt ſummum regem gloriæ tecum poſſideamus in æternum.

Oratio.

Concede nos,*vt ſupra.*

Deinde fit commemoratio ſanctorum Quadraginta Martyrum, vt in Breuiario,

Antiphona.

ISTorum eſt enim regnum cœlorum, qui contempſerunt vitam mundi, & peruenerunt ad prę mia regni, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine agni.
℣.Lætamini in Domino, & exultate juſti.
℟.Et gloriamini omnes recti corde.

Oratio.

PRæſta quęſumus omnipotens Deus, vt qui glorioſos Martyres fortes in tua confeſſione cognouimus, pios apud te in noſtra interceſſione ſentiamus.Per Dominum.

Quorum feſtum celebratur prima die poſt feſtum B. Catharinæ non impedita. Deinde fit commemoratio fer. occurrentis.

Die

Die 12. Augusti 1592. Relatione facta Summo Pontifici Clementi VIII. ab Illustrissimo D. Card. Jesualdo, Sacræ Congregationis Rituum Decano, Sanctitas sua contentatur, hanc B. Catharinam in Martyrologio Romano describi,

FINIS.

[illegible]

Nobi a onze [illegible]
[illegible] a tomar [illegible] tres-
[illegible] ~~[illegible]~~
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

CAC :: 11 pp
AD 12/13/16